



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

IV. De Dispositione Ministri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

*in alium locum, peccet mort. aut fortè de
pixide extrahens, ut exponat in die solem-
ni?* Resp. non videri hoc adeo grave,
ut peccatum mort. involvat, quia non
est actio ad animæ sanctificationem
ordinata. Sic nec peccat mortaliter
Clericus, vel etiam laicus, tangens in
mortali Calicem, Corporalia, &c. li-
cet ab aliqua irreverentia non excusa-
tur.

CAPUT IV.

De dispositione ministris.

I. **Q**UAERO. *An teneatur prae-
mittere Confessionem, si peccati mor-
talis sit conscius?* Resp. non teneri. suf-
ficit enim quod contritionem eliciat,
per quam se sufficienter ad gratiam di-
spōnit. Unde Confessio est consilii, nō
stricti praecepti. De qua re in Rituali
Rom. jussu Pauli V. edito sic legitur:
*Sacerdos si fuerit sibi peccati mortalis
consciens, ad Sacramentorum administra-
tionem non audeat accedere, nisi prius
corde pœniteat: sed si habeat copiam con-
fessarii, & temporis, locique ratio ferat,
convenit confiteri.* Nempe hoc consu-
litur

litur, quia difficilis est contritionis a-
ctus & perfectus ille dolor ex toto
corde, & ex Dei amore proveniens. Est
verò necessaria confessio, nec sufficit
contritio, si quis Sacerdos debet cele-
brare aut communicare, ex speciali
præcepto, de quo agemus, cum de Eu-
charistia tractabitur.

2. *QUAERO. An non sufficiat attri-
tio, ut quis dignè ministret?* Resp. non
sufficere, quia tenetur quantum in se
est, ita se disponere, ut gratiæ statum
recuperet, quod non fit sufficienter
per attritionem. Unde si solum putet
se habere attritionem, tenetur præmit-
tere confessionem, ut ex attrito fiat
contritus, vel majori conatu ad con-
tritionem perfectam se erigere. Quod
si accedat cum attritione, putans se ve-
re habere contritionem, jam excusa-
tur a nova culpa per ignorantiam. Ex
his resolve Casus sequentes.

1. Quid faciendum, dum duo Pa-
stores vicini ad se mutuò accedunt ut
confiteantur, & uterque est in peccato
mortali. Resp. necessariò illum qui
prior

prior audit & absoluit, debere elicere contritionem; is autem qui confitetur non tenetur nisi ad attritionem.

2. Quid faciendum, dum subito Pastor vocatur ad ægrum morientem, & petentem confessionem, aut in plateis vulneratum, ad quem festinandum est, ne moriatur sine confessione? Resp. si Pastor sic subito vocatus, extra fratrum gratiæ est, ob accelerationem tamen non se reflectat super peccato suo, excusatur à novo peccato, absolvendo talem moribundum sine contritione. Quod si verò meminerit peccati sui, non excusatur ab elicienda contritione ob festinationem aut angustiam temporis, quia sufficit brevissimum tempus ad eliciendam contritionem; ideoque tenetur ad eam eliciendam omnem conatum exercere: ita ut sine peccato novo non possit ministrare, nisi se eam bonâ fide putet habere. Hæc verior & certior sententia est, quidquid dicat *Lugo & Meratius* apud *Dianam*, qui hanc nostram resolutionem citant *p. 5. tract. 13. resol. 74.*

3. Qui

3. Quid dicendum de Sacerdote qui conscius peccati mortalis incipit audire confessiones, sed prius quam absolvat conteritur. Similiter accipit Venerabile Sacramentum & defert ad ægrum, nec curat conteri, nisi immediate antequam ægro porrigat. Resp. 1. si talis speravit & intendit se disponere per contritionem ante consummatum actum sui ministerii, puta ante absolutionem, in qua consummatur Sacramentum Pœnitentiæ, aut ante Eucharistiæ in os communicantis porrectionem, in qua consummatur & perficitur ministerium Eucharistiæ, non censetur peccasse mort. quia sufficit esse in gratia ante illam consummationem & perfectionem actus principalis ministrandi. Resp 2. quod si talis peccati sui memor, negligens statum gratiæ, nequaquam curabat administrare in peccato, ideoque accingebat se ministerio sine voluntate contritionis, etiamsi muret in progressu voluntatem, jam peccavit; ideoque tenetur non solum de aliis peccatis,

catis,

catis, sed & de hac ipsa voluntate indignè administrandi, aut de periculo id ipsum faciendi, cui se proximè exposuit, conteri, ac suo etiam tempore id ipsum confiteri.

4. *QUAERO. An liceat recipere Sacramenta ab eo qui indignè est ministraturus?*
 Resp. 1. numquam facile existimandum est quempiam indignè ministraturum, etiam si sciatur esse in peccato, quia potest se per contritionem ad gratiam disponere. Resp. 2. licet si moraliter certus eum cū peccato ministraturum, si tamen sit rationabilis causa petendi Sacramentū, nec facile ab alio possim recipere, non pecco. Ratio est, quia bonum est quod petitur, & ille potest si velit licitè dare, & ego justam petendi causam habeo. Si verò mihi fuerit copia alterius, teneor ex charitate ejus impedire peccatum nec inducere ad ministrandum: quia etiā si jus habeam petendi, tunc tamen justa etiā causa occurrit eo jure non utendi, & nihil me urget, ut ab eo petam, cū ab alio possim: & maxime

non sit paratus administrandum, videor ei peccati occasionem suggerere à qua nullo meo incommodo possem abstinere. Ex his deducitur resolutio casuum sequentium.

1. *Quid faciendum si Parochus sit concubinariis, aut in notorio peccato, & illius occasione haerens?* Resp. potest subditus petere ab eo Sacramenta, non solum in Paschate aut ægritudine, quando urgetur præcepto communionis aut confessionis: sed etiam dum iudicat animæ suæ utile. Pœnitentiæ v. g. & Eucharistiæ Sacramentum percipere, nec ei oportunitas est alterius Confessarii aut ministri. Et id verum est, non solum quando ad ministrandum separatim exhibet, puta sedens in confessionali, ut excipiat confessiones penitentium, aut in altari disponens se ad ministrandum accedere volentibus Eucharistiam: sed etiam quando ad id paratus non esset, nec libenter faceret, possum inducere, & petere, si alius mihi non suppetit, & rationabilis causa me impellit ad Sacramenti percep-

T

tio-

tionem, v. g. quia est solemnitas aliqua principalis, in qua soleo ex pietate communicare: aut à longo tempore non sum confessus, & opto confiteri ut consulam puritati conscientiae, & saluti animae meae. In tali enim casu, cum sit bonum quod peto, & ille per contritionem bene possit dare; quamvis id ex malitia sua non sit facturus, non teneor ejus peccatum cum tali incommodo meo vitare.

2. *Quid faciendum, si Parochus sit excommunicatus?* Resp. si non sit denunciatus, aut manifestus Clerici percussor; possum ab eo petere & recipere Sacramenta sicut in priore casu; hoc est, si rationabilis mihi adest causa, nec alium ministrum facile habeam. Quod si sit denunciatus vel notorius percussor Clerici, jam non possum nisi in extrema necessitate, ob præceptum Ecclesiae, quæ præcipit tales esse vitandos in Extravag. ad evitanda, prohibetque participationem in divinis cum talibus. In articulo verò necessitatis, possum petere ab eo Bapsismum & Pœnitentiam.

nitentiam, & ut aliqui docent etiam
 Communionem. Atq; ille licitè etiam
 potest ministrare, concipiendo contri-
 tionem, si non possit facilè curare ab-
 solutionem. Quod etiam dicendum de
 illo qui non est denunciatus, à quo Sa-
 cramenta peterem secundùm jam di-
 cta extra necessitatem; potest enim
 dare concipiendo contritionem, si tunc
 non possit curare absolutionem: quia
 si ille non posset dare, ego non possem
 petere; nec n. ab aliquo possũ petere,
 quod sine peccato nõ potest exercere,

3 *Quid faciendum, si sit aliquis Páro-
 chus qui sine superioris auctoritate se in
 beneficium intrusit, Vel si contingat Páro-
 chũ ipso jure, aut per sententiã Judicis ob
 crimen suo titulo privari, & nihilominus
 sese manu teneat vi in possessione benefi-
 cii?* Resp. à tali non licet petere Sacra-
 menta, quia non potest licitè dare ca-
 rens jurisdictione, imò aliqua non dat
 valide: non enim validè absolvit, aut
 matrimonio conjungit, si notoriè sit
 intrusus, aut notoriè privatus titulo
 per sententiam: si autem communi

T 2 existi-

existimatione habetur legitimus Parochus, licet ob occultum impedimentum canonicè non fuerit institutus, aut occultè sit privatus à jure vel per sententiam, quæ passim ignoratur, asserunt Doctores; suppleri ab Ecclesia jurisdictionem.

C A P U T V.

De intentione ministri.

I. **Q**UÆRO. *Quæ intentio requiritur in ministro?* Resp. requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vel quod Christus fecit, vel quod Christiani faciunt. Unde cum hærecici hanc habeant intentionem, ex ea parte Sacramentum Baptismi ab illis datum non reputatur dubium. Dico ex ea parte, nam forrè aliunde dubium reddi posset: nam cum dicant non esse necessarium sese alligare verbis aut formis in Sacramentorum ministerio, possent verbum aliquod essenziale in forma mutare, & sic nihil efficere. Ipsi putant solum requiri verbum concionatorium & non consecratorium, ideoque circa formam etiam baptismi,

error